

unum post aliud. Simul autem non potest intellectus infinitis speciebus actuari; quia subordinantur uni rationi, ut unico actu intelliguntur: si autem per plures actus, cum illæ sint infinitæ species, infinitos actus simul elicere deberet, quod est impossibile, cum virtus illius sit creata, et finita, nec possit simul infinitos actus elicere; et ad hoc ipsum indigeret infinito lumine. Quod totum est reducere beatitudinem, seu felicitatem rationalis creaturæ ad aliquid incertissimum, et quod probabilius est, esse impossibile, scilicet quod detur infinitum in actu.

IX. Et si dicatur, quod per species finitas, aut per unam poterunt cognosci omnes creaturæ, et tota collectio entis creati, contra est, quia in præsentia loquimur de cogitatione perfecta, et propria, seu distincta omnis entis creati; confusa enim, et imperfecta non satiat. Impossibile est autem, quod una species contineat representative omnium creaturarum proprias intelligibilitates, sicut nec potest dari aliqua entitas, ut causa, quæ entitative, aut causative contineat omnem collectionem creaturarum; sic enim esset Deus, si causaret omnes creaturas: aut esset entitas omnino confusa, et implicatoria, si omnium quidditates entitative, et formaliter contineret: ergo similiter non poterit una species creata intelligibiliter, et representative omnes creaturas representare; quia illa intelligibilitas, et representatio fundatur in immaterialitate, et segregatione a potentialitate, sicut omnis intelligibilitas ex immaterialitate oritur. Non potest autem immaterialitas aliqua continere omnium creaturarum immaterialitates, nisi omnibus illis sit superior, et excellentior, si quidem ad omnes extenditur. Quod autem est superius tota collectione creaturarum, supra omnem est creaturam:

ergo est Deus. Si vero per plures species creatas, finitas tamen dicatur exhauriri tota collectio creaturarum, contra est, quia vel quælibet ex illis speciebus repræsentat infinitas naturas, specie distinctas; vel non, sed finitas. Si quælibet infinitas repræsentat, illa sufficet pro tota collectione creaturarum; quia in tota collectione, non sunt nisi infinitæ naturæ specie diversæ: nec est major ratio repræsentandi infinitas, quam infinities infinitas, totum enim sub infinito clauditur. Si vero quælibet species repræsentat finitas numero naturas, non poterit tota collectio creaturarum, quæ infinita est, exhauriri finitis illis speciebus, quia finitus numerus, non potest infinitum pertransire.

X. Sed adhuc dato quod possent infinitæ creaturæ, et tota earum collectio attingi in proprio genere, sive per unam speciem, sive per plures, sive finitas, adhuc tamen non sufficerent satiare appetitum rationalis creaturæ, quin potius tunc magis maneret avidus ad cognitionem Dei, quia cognita omnium creaturarum collectione, cognoscitur appertius omnes illas, causam habere, et effectus Dei esse: quanto autem plures effectus alicujus causæ attinguntur, plus de ipsa causa, per effectus attingitur, et consequenter plus desideratur videri, et cognosci causa in se. Et sic per solam creaturarum cognitionem, sine cognitione Dei, non satiat appetitus, sed irritatur, et suspenditur.

XI. Nec obstat, quod visio Dei non potest appeti per naturale desiderium, quia non est aliquid ordinis naturalis. Nam licet ex effectibus naturalis ordinis non possit appeti visio Dei in se, sed solum quatenus causa est illorum effectuum; tamen ex effectibus supernaturalibus, qui respiciunt Deum ut causam propriam, et quasi univocam sui, qua-

tenus sunt participationes quædam speciales divinitatis ejus in eo, quod divinum est, connaturaliter oritur desiderium videndi propriam causam talium effectuum in se, ut late expendimus primo tomo. in prima parte disputationis XII, art. III. Cum ergo intellectus videns totam collectionem creaturarum, etiam inter illas videat supernaturales effectus, quia sunt pars quædam illius collectionis, oportet, quod talis intellectus magis ac magis desideret videre causam illorum effectuum supernaturalium in se; et similiter causam omnium illorum effectuum creatorum, et hæc est Deus in se ipso: nam desideratur causa prout est extra totam collectionem creaturarum, extra totam autem collectionem non est nisi Deus in se. Et sic non manet repletus, neque satiatus appetitus rationalis creaturæ, ex cognitione omnium creaturarum.

XII. Ad secundum respondetur, quod per visionem Dei quantumcumque minimam, satiat appetitus videntis, quia visio quælibet Dei in se, videt totum, quod est formaliter in Deo. Quare licet nihil de creaturis videat, beatus est, quia videt rem æquivalentem, et superantem omnem creaturam, et habentem in se omnem perfectionem in genere entis. Quod vero possit magis, ac magis videri ipse Deus, et plures effectus in eo penetrari, non probat, quod appetitus non sit satiatus qualibet visione, quantumcumque minima: quia ut docet sanctus Thomas in IV, dist. XIX, q. I, artic. IV, quæstiuncul. II ad secundum et tertium: « Cujuslibet beatitudo secundum hoc ultima est, quod appetitus habentis per eam totaliter terminatur, quamvis non sit ultima tamquam existens in ultimo perfectionis gradu, sicut ignis est subtilissimus elementorum, et tamen potest unus ignis esse subtilior altero.

Nec tamen qui minus habet de visione Dei, desiderat esse beatior, et majorem visionem habere: quia plus amat Deum quam se, et magis vult divinam justitiam salvari, quam plus habere de visione, quod sibi esset melius. » Itaque quilibet beatus potest videre meliori, ac meliori modo syncategorematicè, rem illam, quæ nos beatificat; non tamen potest rem meliorem videre. Et ideo satiatur appetitus in illa re clare visa, quantumcumque remisse videatur ex parte ipsius rei, quam videt, et quam amat, quia quomodocumque videat Deum, videt rem infinite excedentem omnem collectionem creaturarum, licet creaturas non videat in Verbo: unde videt omnem perfectionem, seu summum bonum, quod est eminenter videre omnem creaturam, quia ibi videt omnem perfectionem in suo fonte: nec propter visionem creaturarum in se, beatior est, sed solum propter Deum beatus, ut dicit Augustinus in quinto confessionum, capite quarto.

XIII. Quod vero rem istam possit meliori modo videre, non tollit satietatem appetitus, nec excitat desiderium, et inquietudinem plus videnti; alias nunquam satiaretur iste appetitus; quia qualibet visione data, potest alia major dari, neque in hoc est finis. Habita ergo visione quantumcumque minima, satiat plene appetitus, nec amplius desiderat, licet habeat potentiam obedientialem ad illam majorem beatitudinem quia illa major beatitudo non est magis satiativa, sed meliori modo et gradu; nec desiderat aliquid amplius, ut docet D. Thomas hic quæst. V, artic. II, sicut qui majori fame comedit, vel qui minori, uterque satiatur; sed ille plus comedit, quam iste; et qui cibum lautiozem comedit, aut qui minus lautum, uterque satiatur, sed dispari modo. Et sic modus satiandi est diversus, sed sa-

tietas una; nec repugnat quod in ipso ultimo fine discendo sit diversus modus, et in ipsa satietate ex eodem objecto haurienda, sit diversus gradus, quia satietas per objectum, seu rem ipsam regulatur, a qua satiatur, non per modum habendi, ut optime dicit D. Thomas in hac quæstione v, art. III ad secundum.

XIV. Ad tertium respondetur, quod homo secundum sua naturalia non potest perfectam felicitatem habere, sed imperfectam, et quæ humano modo haberi potest, quæ consistit in operatione virtutis, tum intellectualis, tum moralis, ut ex Aristotele I ethic, docet S. Thomas III contra gentiles, cap. XLVIII, et in hac quæstione v, artic. v. Cæterum ea non potest perfecta esse beatitudo, quia non potest perfecte satiari totum appetitum, et desiderium, quod in infinitum extendi potest. Et id in quo satiat, mille miseriis, et ærumnis hujus vitæ plenum est. Et tandem ipsa morte totum hoc finiendum est. Unde quantacumque prosperitate quis gaudeat, tamen ipse timor, et certitudo amittendi omnia per mortem, valde sollicitat, et inquietat animum possidentis, cum qua anxietate, et timore non stat beatitudo, quia est: Status omnium bonorum aggregatione perfectus: ergo non compatitur illud malum; aut si compatitur tale malum, beatitudo perfecta non est. Non ergo in pura natura, aut in hac vita potest perfecta beatitudo haberi, sed solum imperfecta, ex virtutum exercitio, et speculatione scientiarum; quia hæc maxime perficiunt nobilissimas potentias hominis, et id quod in illo supremum est, scilicet intellectus, et voluntas. Et sic concedimus, quod ille modus beatificationis naturalis ordinis, non est ipse Deus in se clare visus, sed aliquid infra Deum in se visum; non tamen ali-

quid infra Deum connotative, et imperfecte attactum, sicut cognosci potest in hac vita.

XV. Nec est inconveniens, quod natura ita nobilis, sicut humana, in sua pura natura non inveniatur finem perfectum, sicut aliæ naturæ inanimatæ habent, quin potius hoc maxime attestatur talis naturæ excellentiam, quod tantam habet amplitudinem, et tantæ capacitatis est, ut nihil naturale eam adimplere sufficiat, ut recte docet S. Thomas in hac quæstione v, articulo v ad secundum, nobilioris conditionis est natura, quæ potest consequi perfectum bonum, licet indigeat exteriori auxilio ad hoc consequendum, quam natura quæ non potest consequi perfectum bonum, sed consequitur quoddam bonum imperfectum, licet ad consecutionem ejus non indigeat exteriori auxilio, ut philosophus dicit in secundo de celo, textu L, usque ad sextum sexagesimum.

XVI. His ergo præsuppositis circa beatitudinem objectivam, restant deinceps difficultates disputandæ circa beatitudinem formalem, seu adeptionem, et assecutionem hujus objectivæ beatitudinis, et circa conditiones, et statum illius. Et præcipuæ difficultates circa ipsam operationem sunt tres; circa statum vero et conditiones consequentes, aliæ tres. De ipsa operatione, est primo difficultas an possit esse operatio increata; an vero necessario debeat esse creata? secundo, an debeat esse elicitæ ab ipso operante vitaliter; an possit esse a Deo infusa, vel aliunde communicata: tertio, an sit operatio intellectus, vel voluntatis vel utriusque. Circa statum vero, et conditiones consequentes beatitudinem, est primo difficultas, an sequatur ad beatitudinem impeccabilitas, ita ut repugnet beatum peccare posse: secundo, an sequatur

inamissibilitas, et perpetuitas omnimoda, ita ut nec amitti possit, nec minui, nec augeri tertio, an sequatur necessitas in amore, et delectatione de Deo, ita ut tam in specificatione, quam in exercitio non possit cessare beatus ab illo amore. Istæ sunt præcipuæ difficultates circa beatitudinem in se. De aliis vero perfectionibus, sive quæ pertinent ad dotes animæ, sive ad dotes corporis gloriosi, aliquid breviter dicemus in ultimo articulo.

ARTICULUS II.

An possit beatitudo formalis consistere in operatione increata; vel illapsu divinæ essentiae in intellectum?

I. Supponimus beatitudinem non dicere perfectionem aliquam, seu formam per modum actus primi, sed per modum actus secundi, atque adeo non consistere in habitu, sed in actu. In quo quidem varie aliqui senserunt. Nam licet omnes existiment beatitudinem sine operatione non dari; non tamen æque existimant operationem constituere beatitudinem, aut ad eam pertinere, constat enim triplicem in hoc versari sententiam. Aliqui enim dixerunt beatitudinem formaliter perfici aut constitui quodam illapsu, et quasi transfusione Dei in ipsam substantiam animæ, qua illam deificat, licet præcedat operatio in anima, qua illum apprehendat. Alii putant consistere in habitu deificante essentiam animæ, et perficiente potentiam ad operationem. Alii denique communiter beatitudinem in ipso actu elicitæ ponunt, non in principio aliquo informante, vel elicente. Prima sententia tribui-

tur Henrico quodlib. XIII, quæstion. XII, et videri etiam potest quodlib. VI, quæst. VI, et in summa artic. XLV, quæstion. V, et articulo XLIX, quæstion. I. Ponit enim Henricus duas beatitudines: unam quasi viam ad alteram; ideoque minus perfectam, et hanc in operationibus intellectus, et voluntatis constituit. Aliam perfectam, et consecutam ad istam, quam ponit in illapsu quodam ipsius divinitatis, quæ est objectiva beatitudo, in essentiam, seu substantiam animæ, qua illam reddit deificatam, istamque secundam, principalem, appellat, et essentialem et sine ulla operatione fieri docet, per solum illapsum Dei in animam, ut videri potest dicta quæstione XII, et in summa articulo XLIX citato, immeritoque Vazquez hic disputat. VIII, capit. II, dicit Henricum, beatitudinem formalem in operatione constituisse, objectivam vero in Deo, qui illabitur animæ: cum constet Henricum hanc secundam beatitudinem, quæ fit per illapsum, principalem, et essentialem existimare præ illa, quæ fit per operationem, et ex illa deificatione illapsiva, dicit fieri redundantiam in intellectum, et voluntatem, ut intellectus illum sic intra se videat, et voluntas fruatur. Secundam vero sententiam docuit S. Bonaventura in IV, dist. XLIX, articulo I, quæstion. I, num. V, et quæst. IV, num. XVII, satisque eam insinuat in III, distinct. XIV, articulo I, quæstion. I. Non enim ponit beatitudinem in perfectione ipsius substantiæ animæ secundum esse, sed in potentia animæ conjuncta operationi, prout potentia unitur, et identificatur essentiae, ut quid substantiale. Tertiam denique sententiam docet S. Thomas in hac quæstione III, articulo II, cum communi theologorum, qui ipsum sequuntur ibi, et Magistrum in IV, dist. XLIX.